



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XXIII. Leprosi sibimet ipsis priuatam habeant ecclesiam & coemeterium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

re, aut veteres augmentare aliquo modo temere præsumat. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, & commonitus non destiterit; donec satisfaciat, communionem careat Christiana.

XXIII.

Cum dicat Apostolus, abundantiorum honorem membris infirmioribus deferendum, ecclesiastici quidam quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, quærentes, leprosis, qui cum sanis habitare non possunt, & ad ecclesiam cum aliis conuenire, ecclesias & cœmeteria non permittunt habere, nec proprii iuuari ministerio sacerdotis. Quod quia procul a pietate Christiana esse dinoscitur, de benignitate apostolica constituimus, ut ubicumque tot simul sub communi vita fuerint congregati, qui ecclesiam sibi cum cœmeterio constituere, & proprio gaudere valeant presbytero, sine contradictione aliqua permittantur habere. Caueant tamen, ut iniuriosi veteribus ecclesiis de iure parochiali nequaquam existant. Quod namque eis pro pietate conceditur, ad aliorum iniuriam nolumus redundare. Statuimus etiam, ut de hortis & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur.

XXIV.

Ita quorundam animos occupauit sæua cupiditas, ut cum gloriantur nomine Christiano, Saracenis arma, ferrum & ligamina galearum deferant, & pares eis, aut etiam superiores in malitia fiant, dum ad impugnandos Christianos, arma eis & necessaria subministrant. Sunt etiam, qui pro sua